

non poterat ulterius procedere, suscepérunt, provisionem ei
facientes. Ita ergo eodem sero recessimus inde (B).

Vicesima tertia die, quae est vigilia S. Johannis Baptiste,
fortissima navigatione processimus, et nocte praecedente ita
repente navigavimus, quod mane nullam terram vidimus, sed
solum mare adriaticum et carpaticum. Cumque sol occubuisset
et jam tenebresceret, disposuerunt se marinarii nostri ad
faciendum ignem S. Johannis in galēa, et hoc modo fecerunt:
acceperunt ultra ultra XL. lucernas de ligno et cornu per-
spicuo factas et impositis accensis luminibus suspenderunt
eas, unam post aliam ad longam chordam vel funem; cum
lucernis accensis sursum ad kebam traxerunt, ita quod lucernae
ardentes a keba usque ad transtra dependebant et totam
galēam illustrabant. Ad hoc spectaculum omnes de prora et
puppi et de carina et de penetralibus galēae ascenderunt et
circum circa steterunt. Et inceperunt trumpetae sive tubicines
tubis canere, et galēotae et caeteri marinarii cantare, jubilare,
chorizare, saltare et manibus plaudere; ex hoc omnes circum-
stantes moti clamore laetitiae et plausu manuum singuligaudebant
ob reverentiam beatissimi praecursoris Domini. Ante hunc
ludum non vidi practicam de gaudioso manuum plausu, ad
quem inducit psalmus, psalm. 46. dicens: Omnes gentes
plaudite manibus, jubilate Domino etc., nec credidisse, quod
communis plausus manuum multorum hominum simul factus
ex laetitia tam vehementer movere posset humanum animum
ad gaudendum. Facta est ergo laetitia magna in galēa et
duravit quasi usque ad medium noctis, et cum omnibus his
fortis et veloci ac tranquilla navigatione processimus via
nostra. Deinde ad dormiendum nos collocavimus omnes tam
peregrini quam nostri marinarii, et navem sequi ventum permi-
simus, cuitamen nunquam ita confidendum est, ut humana indus-
tria et custodia cesset, cum in ictu oculi mutari possit, ut patebit.

Vicesima quarta, quae est festum S. Johannis Baptiste,
mane vidimus Cyprum, cuius tamen aspectus perturbavit
rectores galēae, quia viderunt, se multum a recto maris tra-
mite declinasse, et verum iter per obdormitionem amisisse:
nimis enim ad laevum fuerat galēa projecta; et si non dormi-
vissent rectores, hoc mane in aliquo portu Cypri optato galēa

